(1

NOVA ET FACILIOR

GRAMMATICA

GRÆCA

JUXTA METHODUM

FRANCISCI MERCIER,

Philoſophiæ Profeſſoris.

Hac methodo facilè miſcebis Græca Latinis.

NAPOLI

GENEVÆ,

M. DCC. LXXXV.

Digitized by Google

ERRATA.

Pag. 5. §. 21. lineâ penultimâ pro ἐπ ὶτῆς lege ἐπὶ τῆς

7. §. 7. l. ultimâ pro τους lege τοὺς

12. §. 4. l. 2ª. pro βαθέος lege βα-θέος

14. §. 14. l. penultimâ pro ἄξιος lege ἄξιος

30. §. 17. pro 71. lege 17.

Ibidem l. ultimâ pro ου lege οῦ

32. §. 2. l. 1ª. pro σὺ, σοῦ, σοὶ, σὲ lege συ, σου, σοι, σε

36. l. 9ª. pro ὀργην lege ὀργὴν

Ibidem l. 10ª. pro ἀυτου lege ἀυτοῦ

Ibidem l. ultimâ pro αυτον lege αὐτον

38. §. 6. l. 2ª. pro termiuatio lege terminatio

49. §. 17. l. ultimâ pro φίλτατος lege Φίλτατος

50. §. 18. l. ultimâ pro ῥᾶστος lege ῥᾷστος

Ibidem §. 19. l. 1ª. pro οἰχθίων & οἴχθιστος lege ὀικτίων & οἴκτιστος

60. l. 18ª. pro πρᾶοι lege πρᾷοι

63. §. 10. l. 7ª. pro ἐτίεσθον lege ἐτίε-σθον.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

AN aliquid præfabimur? Omnis cordatus perſe intelliget cur methodum ab uſitatis tam diverſam ſequamur. Tardiores igitur hìc, non alios, alloquimur. In gymnaſio noſtro vix pueri per 3. annos primas latinæ linguæ difficultates ſuperaverunt, cùm ipſis nunciantur 10. diverſæ declinationes, trium numerorum ut generum; totidem conjugationes activorum, paſſivorum & mediorum, in quibus 10. adſunt tempora, 3. numeri, 8. aut 9. perſonæ, 6. inſuper modi! Mirum ſanè ſi hæc perhorreſcant! Biennium inſudant, ut vix 12. Æſopi fabulas imperfectè teneant. Anno tertio vix 5. aut 6. Luciani dialogos intelligunt; & anno quarto tandem Homerum manibus pertrectant, apud quem vix unam aut alteram reperiunt vocem quæ in ſuo ſit naturali ſtatu! Humaniores tunc adeant litte-


ras ; credes ipſos in græcis jam peritos, prima tamen vix tenent principia. Sic itaque prælectiones faſtidiunt, quia in iis nihil prorſus intelligunt; hinc omnia abjiciunt, ut operoſa nimis, ac non ſatis utilia. Nec mirum, ſi Parentes ipſis clament, Malo te fieri Græcum, quàm ſcire græca.

Verùm enim verò græcis opus eſt in Theologiâ : Alii quantùm profeciſſent, ſi primo intuitu ex etymo viderent quid ſonent tot voces, quæ quaſi magicæ judicantur, Emphyteôſis, Antichrêſis, Idioſyncraſis, Antiſeptica &c! Quid ſi nullo negotio ea poſſet ediſci tam neglecta lingua? Rideo cùm probatos ceteroquin Authores reperio ſcribentes *Eclypſe*, *Style*, *Athmoſphere* &c. In hac quæ nunc editur methodo, nullum erit tædium, vix ulla reperietur difficultas. Veni, & vide. 1°. Tres ſunt omnino declinationes, una conjugatio. 2°. Singularem duntaxat ac pluralem videbis, quia rariſſimus eſt dualis; pauciſſima

poſt modum ſufficient, ut illum ubique, ſit opus ſit, diſtinguas. 3°. Ut nihil ſit incipientibus intricatum, nihil de contractione, nihil de circumflexis verbis doceo: paucas poſt modum de his omnibus trado regulas. 4°. Omnia ſi ſimul doceas nihil retinebit Puer. Unum da ediſcendum per totum diem, tardiſſimus id capiet, & plenè callebit. Sic tamen omnia ſciet poſt 320 dies! 5°. Quod memoriter evolverit, id magni refert applicet. Ideo ſingulis capitibus aſſuitur aliquod vernaculè vertendum argumentum, quod ſemper ejus ſcientiæ accuratè adaptatur. 6°. Sic voces innumeras ediſcet, ſi ſaltem eas chartæ mandet & relegat. 7°. Si bene vertat, unam quamque vocis ſpeciem recognoſcet, verbum a nomine diſtinguet, quo ſit caſu nomen, quo tempore, quâ perſonâ verbum cognoſcet, idque eo ipſo indicare poterit, ſive vivâ voce, ſive ſcripto; & id eſt quod barbarè dicunt *faire les parties.* Initio fortè tenebitur Magiſter ea omnia ipſi dic-

tare ; ſed brevi per ſe noſcet Puer. Id ab ipſo tamdiu exige, donec plenè ſciat. 8°. Si incipientibus & Puerculis unum quoque die ſufficiat, Adoleſcens, vel doctior Diſcipulus totum caput per ſingulos dies capiet; ſicque ſufficient dies ſedecim ! Vale.





NOVA ET FACILIOR

GRAMMATICA
GRÆCA.

CAPUT I.
De Litteris.

I.

Litteras 24. habebant Græci quarum en nomen, ordo, figura:

Α Β Γ Δ Ε
alpha, baita, gamma, delta, e pſilon;

Ζ Η Θ Ι Κ Λ
dzaita, aita, thaita, iota, cappa, lambda,

Μ Ν Ξ Ο Π Ρ Σ
mu, nu, cſi, o micron, pi, rho, ſigma,

Τ Υ Φ Χ Ψ Ω
tau, u pſilon, phi, chi, pſi, o mega.

A

Digitized by Google

2.

Eædem ſic ſcribuntur currente ſcripturâ : α, β vel ς, γ, δ, ϵ, ζ vel ζ, η vel η, ϑ vel θ, ι, $\varkappa$, λ, μ, ν, ξ, o, π vel ϖ, ϱ, σ vel ς, τ vel ˥, υ, φ, χ, ψ, ω.

3.

Ex his ſeptem ſunt *vocales*, propter duplex *e* & duplex *o*: *e pſilon*, ſeu macrum, idem eſt ac *é* gallicum; *aita* verò a Gallis pronunciatur ut *ai* in voce *ai*-ſe.

4.

O micron, h. e. parvum, idem ſonat ac *o* gallicum; ſed *o mega* h. e. magnum, idem eſt ac ô vel *au* in voce *au*-teur.

5.

U pſilon ſupponit Græcis aliud fuiſſe *u*, quod erat quaſi *pingue*: Reſpondebat nimirum ſyllabæ gallicæ *ou*, & ſcribebatur ȣ potiùs quàm *ου*.

6.

Græcis, attende, omnes pronunciabantur *vocales*; unde ſyllaba duplici conſtans *vocali*, ut *αι*, *ει*, *οι*, *αυ*, *ευ*, rectè dicebatur *diphthongus*, h. e. ſonus duplex; ſed ȣ *uniphthongus* erat ut Gallis.

7.

Ante omnes vocales Γ, γ effertur ut *G*, *g* apud Gallos in voce *ga*-rant; ſed ante Κ, κ, Χ, χ, vel novum γ, legitur ut conſona ν. Ἀγχὴ legitur *anchai*; ἔγχος enchos; ἄγγια *anguéa*.

8.

Κ pronunciatur ut noſtrum K; ſed Χ, χ idem valet ac *ch* in voce *Chal*-cas. Sic etiam Τ, τ, ⅂, reſpondet noſtro *t*; ſed Θ, ϑ, θ. idem eſt ac *th* in voce *thé-a*-tre.

9.

Ιν ſemper efferri debet ut Gallis vox *in*-né; nunquam ut in voce *in*-time.

10.

Tres ſunt *conſonæ* duplices Ζ, ζ. Ξ, ξ. & Ψ, ψ. His adde ϛ, *Sigma-tau*, ut in voce ϛάσις. & ϑ, *ſigma-thaita*, ut in ϑένος.

11.

Initialibus vocalibus affixum videbis vel *lenem-ſpiritum*, (᾿) vel ſpiritum *aſperum*, (῾) ſic ἀγαθὸς & ἅγιος. Hic redditur per aſpiratam *h*. Lege *agathos* & *haguios*.

12.

Aſper etiam affigitur initiali Ῥ, ῥ, ut

in voce Ῥόδανος quæ legi debet *Rhodanos*; imo, ſi eadem geminetur in mediâ vôce, uterque aderit ſpiritus. Sic Ἄῤῥα legetur *arrha.*

13.

Pi, *cappa*, *tau* dicuntur tenues; & in *phi*, *chi*, *thaita* mutantur ante *aſperum* ſpiritum; & hinc hæ tres dicuntur *aſpirata.*

14.

Finales α, ε, ι, ο per *apoſtrophon* ſæpe eliduntur. Sic pro ἀπὸ Ἰορδάνȣ diceres ἀπ' Ἰορδάνȣ. Sed pro ἐπὶ ἵημι, propter aſpiratam dices ἐφίημι, non ἐπίημι.

15.

Tres, uti nos, Græci (Recentiores ſaltem) *accentus* habebant; *acutum* (ʹ) *gravem* (ˋ) & *circumflexum* (῀) Hic, ut apud Gallos, aliquam notat ſublatam *vocalem.* τελῶ eſt pro τελέω, βοῶ pro βοάω, δῶ pro δόω.

16.

Si quæ forent in ſcripturâ abbreviationes, eas poſt modum reperies inter *anomalias.*

17.

Litteris denique pro *cifris* utebantur.

α, β, γ, δ, ε, ς, ζ, η, θ, novem deſignabant primos numeros: ι deinde pro 10 ſumebatur; ια pro 11: ιβ pro 12: ιγ pro 13. &c.

18.

Κ indicabat numerum 20; & κα, κβ, κγ, &c. numeros 21. 22. 23. &c. Tum Λ ſumebatur pro 30. λα, λβ, pro 31. 32. &c. Μ pro 40. Ν. pro 50. Et ſic deinceps, eodem ſemper modo.

19.

Sic ſaltem diſtinguuntur capita in N. T. ſed apud Homerum, videbis 24. litteras ſecundùm ordinem ſuum deſignare 24. primos numeros.

20.

Ex his vides unde oriatur vox gallica *alphabet*; dicebant etiam ἄλφα & ὤμεγα pro primo & ultimo.

21.

His obſervatis, & accuratè retentis, legat Puer, & vernaculis ſcribat litteris ſequentia. Εὐχὴ Κυριακὴ. Πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς ὐρανοῖς, ἁγιαϑήτω τὸ ὄνομά σȣ. Ἐλθέτω ἡ βασιλεία σȣ. Γενηθήτω τὸ θέλημά σȣ, ὡς ἐν ȣ̓ρανῷ καὶ ἐπ ἰτῆς γῆς. Τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιȣ́σιον δὸς ἡμῖν σήμερον. Καὶ

ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν, ὡς καὶ ἀφίεμεν τοῖς ὀφειλέταις ἡμῶν. Καὶ μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμὸν, ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ δόξα, εἰς τοὺς αἰῶνας, Ἀμήν.

CAPUT II.

De Subſtantivis.

I.

Voces uſu, non regulis, ediſcuntur: ſimul ac tibi occurrunt, ipſas chartæ manda, relege ſæpius, & obſerva tres eſſe omnino Græcis declinationes; nullum eſſe *ablativum*; vix differre *vocativum* à *nominativo*.

2.

Prima declinatio eſt femininorum in η deſinentium: Eorum *genitivus* terminatur in ης, *dativus* in ῃ, *accuſativus* in ην. Terminatio pluralis eſt αι, ων, αις, ας.

3.

Sua declinabant *ſubſtantiva* vel ſine vel cum *articulo* ejuſdem generis. Articulus femininorum eſt ἡ, τῆς, τῇ, τὴν.

αι, τῶν, ταῖς, τὰς, & in utroque *vocativo* ὦ.

4.

Multa ſunt *feminina* quæ deſinunt in α, ſed ſi *genitivus* ſit in ης perinde declinantur, niſi quòd *accuſativus* deſinet in αν. Τιμὴ honor, habet τιμὴν, ſed μέριμνα cura, habet μέριμναν.

5.

Feminina quæ deſinunt in α purum, h. e. *vocali* præceſſum, non differunt in *plurali*; ſed in *ſingulari* pro *finali* η ſuum ubique ſervant α. Φιλία amicitia, declinatur Φιλία, φιλίας, φιλίᾳ, φιλίαν.

6.

His junge quæ deſinunt in, δα, θα, ρα, ut Λήδα Leda; ἄκανθα ſpina; ἡμέρα dies; &c. ſingulæ hæ voces declinandæ proponantur.

7.

In ſecundâ declinatione *maſculina* & *feminina* deſinunt in ος, nec aliter differunt quàm ſuo *articulo*. Talem habent *maſculina*; ὁ, τȣ, τῷ, τὸν οἱ, τῶν, τοῖς, τȣς, & in utroque *vocativo* ὦ.

8.

In his *genitivus* eſt in ȣ, *dativus* in ῳ;

accuſativus in ον, *vocativus* in ε. In plu-*rali* οι, ων, οις, ȣς. Ex his declinanda proponantur ὁ ὑιὸς filius; ἡ νῆσος inſula.

9.

Sunt & *neutra* ejuſdem declinationis quæ deſinunt in ον, ȣ, ῳ, ον, ον· α, ων, οις, α, α. Sic tres caſus ſibi ſunt ſimiles ſive in ſing. ſive in plur. Declinetur τὸ δένδρον, arbor. Eorum *articulus* eſt τὸ, τȣ͂, τῷ, τὸ· τὰ, τῶν, τοῖς, τὰ, & in utroque *vocativo* ὦ.

10.

Ad primam declinationem refero *maſculina* quædam in ης & in ας deſinentia, quæ in *genitivo* ſing. habent quidem ȣ, ſed in ceteris non differunt a Τιμὴ. Talia ſunt ὁ μαθητὴς diſcipulus, & κοχλίας cochlea; quæ, itidem declinanda proponenda ſunt.

11.

Tertiæ declinationis *ſubſtantiva* omnigenas habent terminationes, & alia ſunt *maſculina*, alia *feminina*, alia *neutra*; unde vocem diſcendo diſcendum & neceſſariò *genus*.

12.

Ea dicuntur *impariſſyllaba*, quia eorum *genitivus*, in ος ſemper deſinens, unâ etiam ſemper ſyllabâ *nominativum* excedit. Sic ὁ γίγας Gigas, habet γίγαντος.

13.

Illud ος *finale* genitivi non eandem ſemper habet præcedentem *conſonam*. Ἀςὴρ aſtrum v. g. habet ἄςερος· ſed ἐλπὶς ſpes ἐλπίδος. Imo γυνὴ mulier γυναικὸς. Diſce ergo *genitivum* diſcendo ipſam vocem.

14.

Impariſſyllaborum ος finale fit ι in *dativo*, & α in *accuſativo*. In plur. fit ες, ων, ας, ες· ſed *neutra* ſemper habent *accuſativum* & *vocativum* ſimiles *nominativo*; & hi tres caſus in plur. ſemper deſinunt in α· τὸ γόνυ, γόνατος genu, habet γόνατα· τὸ κρῖμα, κρίματος judicium, κρίματα.

15.

Multa habent *genitivum* ſing. in ος purum, ſeu *vocali* præceſſum, ut πόλις urbs, πόλιος vel πολέος· ἰσχὺς vis, virtus, ἰσχύος. Ea in *accuſ.* ſing. habent ιν & υν.

16.

Rurſus *dativus* plur. in omnibus aſſu-

mit σ ante ι finale *dativi* ſing. abjiciendo omne ν, δ, τ. ſic πόλις habebit πόλισι vel πόλεσι· ἐλπὶς ἐλπίσι· ῥῆμα verbum, ῥήμασι; γίγας γίγασι &c.

17.

Cave ne ſumas τὸ ὄρος mons & ſimilia pro ſubſtantivis 2ᵉ declinationis. Hic enim neutra deſinunt in ον· & ex *genitivo* ὄρεος &c. cognoſcis *impariſſyllabum*.

18.

Eadem eſt Græcè ac Latinè ſubſtantivorum *ſyntaxis* inter ſe ; *præpoſitiones* autem aliæ *genitivum*, aliæ *dativum*, aliæ *accuſativum* poſtulant.

19.

Sed nullum *articulum* adhibebant Græci ubi nullus eſt gallicè, aut ubi adeſt *articulus un*, *une* &c. ſed *articulus le*, *la*, *les* &c. ſemper reddi debet per ὁ, ἡ, τὸ, &c.

20.

Contrà nominibus propriis ſemper *articulum* præfigebant, ut & pronominibus *mon*, *ma*, *mes* : *ton*, *ta*, *tes* : *ſon*, *ſa*, *ſes* : *notre*, *votre*, *leur* : *nos*, *vos*, *leurs*.

21.

Scribat Puer unum aut alterum ex his omnibus nominibus ; & ſequentia vertat

uniuscujuſque vocis rationem reddendo. Ἄγχι τῆς Αἰγύπ]ȣ ἡ γῆ τȣ̃ Κάνααν· Ἀμφὶ νήσȣ ἡ θαλάσσα. Ἄνευ αἰχμῆς ȣ̓ δόρυ. Ἄτερ πόνȣ καὶ ἱδρῶτος. Ἀντὶ τῆς τῶν ȣ̓ρανῶν δόξης. Ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς ἄχρι τῆς δυσμῆς. Διὰ τῆς χώρας τȣ̃ Πιριθόȣ. Διὰ τὸ τῶν Ῥωμαίων ἀντὶ τῶν βασιλέων μῖσ☉. Ἔγγυς τῆς Περσίδος ἡ Συρία. Ἐκ τῶν τῆς Ἑλλάδος ἡγεμόνων. Ἔμπροσθεν τȣ̃ θεȣ̃. Ἐν τῷ ȣ̓ρανῷ καὶ ἐπὶ τῆς γῆς. Ἕνεκα τȣ̃ πατρὸς. Ἐντὸς δεκὰ ἐτέων. Ἐνώπιον τȣ̃ Κριτȣ̃. τὶς ἐξ Ἐκκλησίας· Ἔξω τῶν πυλῶν· Ἔσω τῶν τειχέων. Κα]ὰ τȣ̃ Ἱππολύτȣ. Κατὰ τὴν ἀκ]ήν. Κατὰ τὰς τȣ̃ νόμȣ ἐντολάς. Μετὰ βροντῶν ϗ στεροπῶν καὶ χειμῶν☉. Μετὰ τὴν νικήν. Μεταξὺ τῶν ἀκάνθων. παρὰ τȣ̃ θεȣ̃ ἡ νική. παρὰ τῷ θεῷ ȣ̓ παραλλαγή. πέρα τȣ̃ Ἰορδάνȣ. περὶ τῆς πολιτικῆς. περὶ τὰ τείχεα τῆς πόλε☉. πρὸ τȣ̃ χρόνȣ. πρὸς τὴν λύραν ὄνος. Ὑπὸ τȣ̃ Ἕκτορος. Ὑπὸ τῶν τειχέων τῆς Τρωίας. Χωρὶς οἴνȣ ȣ̓κ ᾠδή.

CAPUT III.

De Adjectivis.

I.

Sua habebant Græci *adjectiva*, quæ vocabant ἐπίθετα, & quæ alterutrâ ſupe-

riorum declinationum omnia declinantur. Omnium frequentiſſima in ος, η, ον deſinunt, ut καλὸς, ὴ, ὸν pulcher, gen. καλȣ̃, ῆς, ȣ̃.

2.

Horum quæ deſinunt in ρος vel ος purum habent α pro η in feminino, ut ἱερὸς, ὰ, ὸν, ſacer; τελεῖος, α, ον, perfectus; & ἅγιος, α, ον, ſanctus.

3.

Quædam, ut ὠφέλιμος, utilis, eodem modo terminantur in *feminino*; & habent ον in *neutro*: ſunt ergo 2æ declinationis, dum priora ad 1am & 2am pertinent.

4.

Alia deſinunt in υς, εια, υ, ut βαθὺς, εῖα, ὺ, profundus: Ex *genitivo* βαθέος, είας, έος cognoſcis *femininum* ad 1am pertinere, dum cetera ſunt *impariſſyllaba*.

5.

Multa etiam in ης, *gen.* εος, *terminantur*; ut ἀληθὴς, έος, verus. In his *maſculinum* ſimile eſt *feminino*, dum in *neutro* η mutatur in ε· ſed ex *genitivo* vides ea eſſe in omnibus *impariſſyllaba*.

6.

Idem dictum eſto de iis quæ deſinunt in ων, ut ἐλεήμων, miſericors: Idem erit *femininum*; ſed in *neutro* ω fiet ο. Habent ονος in *genitivo*.

7.

Adjectivorum in εις, εσσα, εν, ut χαρίεις, χαρίεσσα, χαρίεν, gratioſus, elegans, declinationes notas habebis ex *genitivo* εντος, έσσης, εντος.

8.

Idem rurſus dicendum de adjectivis in ων, ȣσα, ον, quorum *genitivus* eſt οντος, ȣ́σης, οντος. De adjectivis in ὼς, ῦια, ὸς, *gen.* ότος; ύιας, ότος. Et de adjectivis in ας, ασα, αν, *gen.* αντος, άσης, αντος.

9.

Adjectivum πολὺς, πολλὴ, πολὺ, multus, irregulare admodum primâ fronte videtur; ſed declinatur ut ſi eſſet πολλὸς, ὴ, ὸν, niſi quòd in *accuſativo* dices πολὺν & πολὺ.

10.

Μέγας, μεγάλη, μέγα, magnus, declinatur ut μέγαλος, η, ον; ſed in *accuſativo* dices μέγαν & μέγα.

11.

Pariter in *μέλας*, *μέλαινα*, *μέλαν*, niger, *femininum* *μέλαινα*, *ης*, eſt omnino regulare; ſed *μέλας*, quod habet in *accuſativo* *μέλανα*, *μέλαν*, in ceteris declinatur ut *μέλανος*.

12.

Ἄλλος, ἄλλη, alius; αὐτὸς αὐτὴ, ipſe; & ἐκεῖνος, ἐκείνη, ille; in *neutro ſing.* abjiciunt *finale ν*. Dicitur ἄλλο, αὐτὸ, & ἐκεῖνο.

13.

Nihil habet irregulare ȣ̃τος, αὕτη, τȣ̃το, hic, hæc, hoc, niſi quòd a fronte ſumit τ, ubi *articulus* ὁ, ἡ, τὸ illud habet.

14.

Ceterùm græcè ut latinè *adjectiva* cum ſuo *ſubſtantivo* concordant; & certum aliquando poſt ſe trahunt caſum. Ἀγαθὸς θεός. καλὴ γυνή. μακρὸν δένδρον· ἄνθρωπος θανάτȣ ἄξιος. ὁ πόνος τοῖς ἀνθρώποις πρὸς τὴν ἀρετὴν ὠφέλιμος.

15.

Adjectivis ſuus adeſt ut plurimum *comparativus* & *ſuperlativus*, qui eodem rurſus modo ſemper declinantur; ſed pro

ablativo Latinorum *comparativus* græcus amat *genitivum*; vel effert *quàm* per ἢ

16.

Adjectiva in ης habent in comp. έςερος, α, ον, in *ſuperl.* έςατος, η, ον. Sic ἀκριβὴς, accuratus, ἀκριβέςερος, accuratior; ἀκριβέςατος, accuratiſſimus.

17.

Adjectivum ὠκὺς, celer, habet ὠκύτερος & ὠκύτατος, Et ſic de ſimilibus; ſed adjectiva in ος ſpecialem ſequuntur regulam.

18.

Cùm *penultima* eſt *brevis*, habent ώτερος & ώτατος· ſi ſit *longa*, habent ότερος & ότατος. σόφος, ſapiens, σοφώτερος &c. χρηςὸς bonus, χρηςότερος &c.

19.

Multa ſunt adjectiva quorum irregulares ſunt *comparativus* & *ſuperlativus*: Uſu diſcuntur; & præcipuos poſt modum reperies.

20.

Quibuſdam denique ſuus deeſt *comparativus*, qui compenſatur per μᾶλλον ἢ, *magis quàm*; ut *ſuperlativus* per μάλιςα, maximè.

21.

Ut hæc omnia firmiùs retineat Puer; unum ex unàquaque ſpecie totis litteris ſcribat; & ſequentia vertens memoriter ediſcat. Οὐκ ἀεὶ θέρος, ἀλλὰ καὶ ἐνίοτε μέγα χεῖμα. Ὅπου τὸ νεκρὸν ἐκεῖ καὶ οἱ ἀετοί. Ὅπου ὁ μὲν θησαυρὸς ἐκεῖ καὶ ἡ καρδία. Ὅμοια τόξον χωρὶς ἀγκύλης καὶ ἦτορ ἄνευ ἐλπίδος. στρηνέστατος ὁ ἐπ' ἀρετὴν οἶμος. Φίλη ταῖς Μούσαις Ἠώς. Ἄρχων ἀγαθὸς κοινὸν ἀγαθόν. πολλοὶ τραπέζης, ὀλίγοι ἀληθείας Φίλοι. οὐ πάντα τὰ ἕλκη ἀκεστά. Γλῶσσα κακὴ ὀξύτερα! ἀκμῆς ξίφεος.

Ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μέσων, εὐχαὶ δὲ γερόντων.

Ἐκ τῶν παλαιῶν Φιλοσόφων ἄλλοι μὲν εὐσεβέες, καὶ πάσης ἄξιοι τιμῆς, ἄλλοι δὲ ἀσεβέστατοι καὶ μάλιστα καταφρονητέοι· θαυμασία ἡ τοῦ Σωκράτου εὐσεβεία, τελεῖα ἡ ἐγκράτεια, ἀκριβὴς ὁ λογισμὸς, καὶ βαθεῖα ἡ Φιλοσοφία. Ἡ τῶν Ἀποστόλων διδαχὴ Θεοῦ ἀξιώτερα ἢ τὰ τῶν Φιλοσόφων δόγματα. Ἡ τοῦ Θεοῦ μωρία σοφώτερα τῆς σοφίας τῶν ἀνθρώπων. Τὸ ἀσθενὲς τοῦ Θεοῦ ἰσχυρότερον πάντων τῶν ἀνθρώπων. Ὁ πόνος τοῖς ἀνθρώποις μέγιστος θησαυρός.

CAPUT

CAPUT IV.

De Verbis.

I.

Una erat Græcis *conjugatio* : Saltem altera in uno tantùm aut altero tempore adhibebatur. 6. uti nos, adgnoſcebant *perſonas* per ſe abſque pronominibus dignoſcibiles.

2.

Præter Latinorum *tempora* tria inſuper admittebant, *futurum* 2um. nempe & duos *aoriſtos*, h. e. *indefinita tempora*, quæ pro *præterito* aut aliis perinde adhibentur.

3.

Triplici reſpectu inter ſe differunt *tempora* græca, 1ò. *terminatione*, 2ò. *figurativâ*, 3ò. *augmento.*

4

Figurativa dicitur *conſona* quæ *poſtremam* verbi *ſyllabam* efformat, ut γ in verbo λέγω, dico, colligo.

5.

Terminatio eſt quicquid *figurativam* ſequitur, ut ω in λέγω, όμενος in λεγόμενος.

6.

Nullam *figurativam* habet verbum τίω, honoro; quia deſinit in ω purum; ſed ea in aliis adparebit temporibus.

7.

In *indicativo* 4. ſunt diverſæ *terminationes*, ω, ον, α & ειν. *Terminatio* ω communis eſt *præſenti*, & *futuro* 1º. & ſic mutatur in 6. perſonis; ω, εις, ει· ομεν, ετε, ουσι.

8.

Terminatio ον locum habet tum in *imperfecto*, tum in *aoriſto* 2º; & ſic mutatur; ον, ες, ε· ομεν, ετε, ον· ſic non differunt 1ª. *ſing.* & 3ª. *plur.*

9.

Terminatio α eadem eſt, aut propemodum, in *perfecto* & *aoriſto* 1º. Tales ſunt 6. *perſonæ*; α, ας, ε· αμεν, ατε, ασι; ſed in *aor.* 1º. hæc 3ª. *plur.* eſt αν.

10.

Soli *pluſquàm perfecto* propria eſt *terminatio* ειν, εις, ει· ειμεν, ειτε, εισαν.

11.

Figurativa futuri 1ⁱ. eſt σ, quod inſeritur *terminationem* inter & *penultimam*; ſic τίω habet τίσω, honorabo.

12.

Verba in δω, θω, τω, *præſentis* amittunt *figurativam*, ſumendo iſtud σ. ſic ᾄδω, cano, habet ᾄσω, non ᾄδσω· πέρθω, vaſto, πέρσω, non πέρθσω· πέτω, cado, πέσω, non πέτσω.

13.

Contrà quæ deſinunt in σκω amittunt ſuum κ, & ſimpliciter retinent ſuum σ. ſic γηράσκω, ſeneſco, habet γηράσω· ἀρέσκω placeo, ἀρέσω.

14.

Verba in βω, πω, φω, πτω, ipſâ hujus σ inſertione, habent ψ pro *futuri figurativâ*. λείβω, fundo, habet λείψω. τέρπω, delecto, τέρψω· γράφω, ſcribo, γράψω· τύπτω, verbero, τύψω.

15.

Eâdem ratione verba in γω, κω, χω & κτω habebunt ξω· λέγω, λέξω· ἥκω, venio, ἥξω· ἔχω, habeo, ἕξω· τίκτω pro τέκω, pario, τέξω.

16.

Ex verbis in ζω, & σσω vel ττω, alia ſumunt ξ, alia σ. παίζω, ludo, & πράσσω ſeu πράττω, facio, habent παίξω & πράξω· dum φράζω dico, & πλάσσω ſeu πλάττω, fingo, habent φράσω, & πλάσω.

17.

Latini ſimiles habent *figurativæ* mutationes. *Pono*, fit *poſui*; *premo*, *preſſi*; *fingo*, *finxi*, &c.

18.

Sola verba in λω, μω, νω, ρω, ſuam ſervant *præſentis figurativam*, mutato duntaxat *accentu*. Sic νέμω, diſtribuo, fit νεμῶ, diſtribuam.

19.

In his ſi *penultima* ſit *longa*, in *brevem* mutabitur ante ῀. Sic σπείρω, ſero, fit σπερῶ. &c.

20.

Rurſus, ubi verbum duas habet *conſonas* ante *terminationem*, prior ſola habetur pro *figurativâ*. Ideo τέμνω, ſeco, habet in *futuro* τεμῶ, non τεμνῶ.

21.

Scribat Puer totis litteris *præſens* & *futurum* multorum ſubinde verborum uniuſcujuſque ſpeciei; & methodo priùs indicatâ vertat & diſcat haſce phraſes. Αἶθρον οἱ ἄστερες μηνύουσι· ψεύδει πολλάκις Ὠρίων τοὺς Ναύτας.

Ἀγροὺς καὶ πόλεας σοφίη καὶ νῆα κυβερνᾷ.

Pro σοφία κυβερνάει. Ἀῆδος πολλάκις σο-

φίαν στέγει. πρεσβὺς λεύσσει τὰ πρόσω, καὶ τὰ ὀπίσω. Γυναῖκα αἰδὼς, οὐ κόσμος κάζει. ὥσπερ τὴν κόνιν νόθος, οὕτω καὶ Φαύλους τρυφὴ κυκλέει. Ἀλλὰ γαστὴρ οὐκ ἀλέγει ῥήματα· ψωμοῦ ἄρτων παράσιτος ἐλευθερίαν πωλέει. Οἵας ὁ ποιμὴν ἐσθλὸς ἀγείρει, σκορπίζει δὲ ὁ λύκος. Ὅτε ὁ μὲν Ὅμηρος τοὺς βασιλέας ὀνομάζει λαῶν ποιμένας, αὐτοὺς πρὸς τὴν εὔνοιαν, καὶ χρηστότητα, καὶ εὐεργεσίαν παρακαλέει. Αὐτοῖς τὴν ὑπερηφανίαν, καταφρόνησιν, ἀφροντιστίαν, σκληρότητα, δεσποτείαν, καὶ πᾶσαν κυριότητα ἀπαγορεύει· οὐ γὰρ τῶν προβάτων κυριεύουσι ποιμένες. Ὅπου πᾶς ὁ λαὸς πάντων κρατέει, τοῦτο οὐκ ὀνομάζω δημοκρατείαν, ἀλλὰ λαοκρατείαν. πλατὺς ὁ κόσμος θεὸν οὐ καταλαμβάνει· παῦροι καὶ παυρότατοι βασιλέες καὶ ἄρχοντες εἰς τὴν τῶν λαῶν εὐδαιμονίαν σπουδάζουσι. θεοῦ ὀργὴν οὐ σημαίνει ἡ Ἶρις.

CAPUT V.

De Præterito, augmento, &c.

I.

Si verba in λω, μω, νω, ρω excipias, omnia vidiſti *futura* in σω, vel ξω, vel ψω

terminata; Hinc *præterita* in κα, vel χα; vel φα, omnia etiam deſinunt, ne exceptis quidem verbis in λω, μω, νω, ρω.

2.

Augmentum eſt *vocalis* ε; quæ verbo præfigitur in *imperfecto*, *aoriſtis* & *pluſquàm perfecto*: ſic τίω fit ἔτιον, honorabam.

3.

Præter illud ε, *præteritum* initialem inſuper præfigit verbi *conſonam*. Igitur τίω hîc fiet τέτικα, honoravi.

4.

Liceat illud præteriti *augmentum* adpellare *reduplicationem*: ſimilem reperies aliquando latinè; *mordeo* habet *momordi*: *tango*, *tetigi*: *pungo*, *pupugi*.

5.

Si *initialis* verbi *conſona* ſit una e tribus *aſpiratis* Φ, χ, ϑ, in *reduplicatione* ſumetur *tenuis* correſpondens, π, κ, τ. Φιλέω, amo, habet πεΦίληκα. θύω, ſacrifico, τέθυκα· χρίω, ungo, κέχρικα.

6.

Si hæc *initialis* ſit una e tribus *duplicibus* ζ, ξ, ψ, *augmento* ſufficiet ε. ζη-

ζητέω, quæro, habet ἐζήτηκα· ξέω, acuo; ἔξεκα. ψάλλω, cano, ἔψαλκα.

7.

Si verbum a fronte gerat 2. conſonas, ut γράφω, φλέγω, uro; prior ſola reduplicabitur. γέγραφα, πέφλεχα.

8.

Si prior e duabus ſit σ, augmento ſufficiet ε. ſic σβέω, extinguo, habet ἔσβεκα.

9.

Si aliqua verbum præcedat præpoſitio; ut in ἐπιγράφω, inſcribo, in eam non cadet augmentum. Dices ἐπιγέγραφα. Contrà λιθοβολέω, lapido, habebit ἐλιθοβόλεον, λελιθοβόληκα, quia præcedit, non præpoſitio, ſed ſubſtantivum λίθος, lapis.

10.

Nulla eſt reduplicatio ubi verbum incipit per vocalem; ſed α & ε mutantur in η· ο in ω· οι in ῳ· αι in ῃ· Ἄρχω, impero, habet ἦρχα· ἐγγίζω, accedo, ἤγγικα· ὁράω, video, ὤρακα· αἰτέω, peto, ᾔτηκα· οἰκέω, habito, ᾤκηκα. In aliis temporibus idem erit augmentum.

11.

Si *initialis* ſit η, vel ι, vel υ, nulla erit *reduplicatio*, nullum ullibi *augmentum*. Ἥκω habebit ἧκον, ἧκα· ἱδρόω, ſudo, ἵδροον, ἵδρωκα· ὑβρίζω, contumeliâ affi. cio; ὕβριζον, ὕβρικα.

12.

Aoriſtus 1$^{us.}$, ſolo σ contentus, *figurativam* ſumit *futuri* 1^{i}. Τίω habet ἔτισα· λέγω, ἔλεξα· τύπτω, ἔτυψα.

13.

Idem fit in verbis in λω, μω, νω, ρω. ſed pro *brevi* in *penultimâ* petit *longam* ille *aoriſtus* 1$^{us.}$ ſic ex νεμῶ fit ἔνειμα· Ex ψαλῶ, ἔψηλα.

14.

Aoriſtus 2$^{us.}$ tunc tantùm ab *imperfecto* differt, cùm ex *penultimâ* tolli poteſt una vel *vocalis* vel *conſona*. Sic ex λείβω fit ἔλιβον· Ex τύπτω, ἔτυπον.

15.

Si verbum *diſſyllabum* habet ε vel η in *penultimâ*, *aoriſtus* 2$^{us.}$ illud in α mutabit. Ex σπείρω fit ἔσπαρον. Ex τέμνω, ἔταμον· Ex λήβω, accipio, ἔλαβον.

16.

Excipe tamen hæc tria λέγω, φλέγω,

& βλέπω video, in quibus remanet ε, ſicque *aoriſtus* 2us. ab *imperfecto* non differt.

17.

Quare λείβω in *aoriſto* 2°. habet ἔλιβον, dum σπείρω habet ἔσπαρον? R. Quia λήβω jam habet ἔλαβον.

18.

In *pluſquàm perfecto* ſervatur & *reduplicatio* & *figurativa* præteriti; ſed novum a fronte ſuperadditur ε. Ex τέτικα fit ἐτετίκειν, honoraveram.

19.

Denique ſi ρ ſit *initiale*, illud poſt *augmentum* ε geminatur; ſicque in *præterito* vicem geret *reduplicationis*: ῥώω, roboro, habet ἔῤῥωον, & ἔῤῥωκα.

20.

Quatuor ſunt verba quæ in *aoriſto* 1°. ſumunt *figurativam*, non ſui *futuri*, ſed ſui *præteriti*; ἔστηκα, ſteti; ἔθηκα, poſui; ἔδωκα, dedi; συνῆκα, intellexi.

21.

Hæc viginti obſervata difficillimè inculcarentur, ſi Puer hæc omnia ſimul ediſceret; ſingula ſeorſim trade, retine-

bit. Cùm ea ad unguem tenebit, hæc vertet. Ἔλεγε μὲν ὁ Σεβαςὸς τὴν προδοσίαν μὲν Φιλέω, ἀλλὰ τὲς προδότας προσοχθίζω· τὸ αὐτὸ ὁ Λεδοϊκος ὁ μέγας ἐνόμιζε. Μετὰ γὰρ τὴν προδοσίαν τῶν ἀρχόντων τινὸς πόλεος ἔλεξε περὶ αὐτῶν, τίνες ἔτοι; ἐχὶ τὸν μισθὸν ἐκόμισαν; Ὁ μὲν Τέλλιος ἐν τῷ αὐτῦ περὶ τῶν καθηκόντων βίβλῳ λέγει, οἱ πρόγονοι μηδένα ἐπινενοήκασι δεσμὸν τῦ ὅρκε ἰσχυρότερον. Νῦν δὲ λέγω τί μὲν ὅρκος παρὰ πολλοῖς; παυρότατοι τοῖς εἰρημένοις ἐμμένεσι. Ξίφος μὲν τὸ σῶμα τιτρώσκει, νοόν δὲ ὁ λόγος ἀεὶ τρώσει. Ἐλάχιςον ζῶον ψύλλος ἅλματι μέγιςον ἐλέφαντα νικήσει· Ὥσπερ χρυσὸν τὸ πῦρ, ἕτω καὶ φίλες ὁ καιρὸς κρινεῖ. Εὖ τὸ μέλλον ἕξει εἴ τις τὸ παρὸν εὖ διοικήσει. Λιμὸς, λοιμὸς, τυραννὶς καὶ πόλεμος τὲς λαὲς ἀεὶ πέρσεσι. Μηδεμία δύη ἥκει μόνη.

πλῦτος Ἀριςείδη δάμαλις μία, καὶ τριχομαλλος

ὄϊς μία, ἐκ τέτων λιμὸν ἔλαυνε θύρας.

CAPUT VI.

De verbis extra *Indicativum.*

1.

Omnia quæ vidimus tempora novam ſumunt *terminationem* in *imperativo*, *optativo*, *conjunctivo*, & *infinitivo*: Eadem unicuique remanet *figurativa*, perit *augmentum*, *præterito* ſuam ſervante *reduplicationem.*

2.

Imperativi terminatio ubique foret ε, έτω· ετε, έτωσαν; niſi quòd in *aor.* 1°. ſit ον, άτω· ατε, άτωσαν, & *futuro* nullus eſt *imperativus.*

3.

Optativus ubique habet οιμι, οις, οι· οιμεν, οιτε, οιεν, præter eundem *aor.* ubi α ſubſtituitur τῷ ο.

4.

Sic enuntiant vota, & duo *conditionalia.* θέλοι θεὸς, velit Deus; τίοιμι, honorarem; τετίκοιμι honoraviſſem.

5.

His *optativis* frequenter adjuncta repe-

ritur particula ἂν· Αὐτὸν ἔχων τίσαιμι ἂν, εἰ καλῶς ἐπεποίηκει.

6.

Conjunctivus ſine exceptione ubique deſinit in ω, ῃς, ῃ· ωμεν, ητε, ωσι. Nec alibi adhibetur quàm poſt *conjunctionem* illum affectantem. ἵνα πάντες τίωσι τὸν υἱὸν ὥσπερ τὸν Πατέρα τίουσι.

7.

Tempora in ω & ου deſinentia *infinitivum* habent in ειν. *Præteritum* ſuum habet in έναι. *Aoriſtus* 1us. in αι.

8.

Ut totidem *ſubſtantiva* declinari poſſunt *infinitivi*, ipſis *neutrum* præfigendo *articulum*. Ἀρκέει τὸ θέλειν· Ἕνεκα τοῦ αὐτὸν θάπτειν. Ἐν τῷ τυραννεύειν. Μετὰ τὸ αὐτὸν τεθνηκέναι. πρὸς τὸ νικῆσαι.

9.

Denique unicuique tempori ſuum adeſt *participium*. In *præt.*° deſinit in ὼς, υῖα, ὸς· *gen.* ότος & υίας· In *aor.* 1°. ας, ασα, αν· *gen.* αντος & άσης· In ceteris ων, ουσα, ον· *gen.* οντος & ούσης.

10.

Ea ſic intellige *participia*; τίων hono-

rans. *τίσων* honoraturus. *τετικὼς* & *τίσας* gallicè *aïant honoré.* Pariter *τυπὼν*, *aïant frapé.*

II.

Si his participiis præfigatur *articulus*, *ſubſtantivè* intelligentur. *ὁ τίων*, ille qui honorat. *ὁ δώσων*, ille qui dabit. Unde dictus Rex Macedoniæ Antigonus *ὁ δώσων.* *ὁ τίσας*, ille qui honoravit. &c.

12.

Vide Caput III. 8. Ea *participia* vera ſunt *adjectiva*, ſed quæ verbi ſui regimen *participant.* *ὁ ζητέων τὴν σοφίαν αὐτὴν ἀσφαλῶς εὑρήσει.*

13.

Imperfecto & *præſenti* idem eſt *optativus*, *imperativus*, *conjunctivus*, *infinitivus* & *participium*; ut & *præterito* idem eſt ac *pluſquàm perfecto.*

14.

Sic itaque *ὁ τετικὼς* ſignificabit *ille qui honoravit* vel *honoraverat*: *ὁ τίων* ille qui *honorat* vel *honorabat.* *ἵνα τίωσι* ut honorent, vel honorarent.

15.

Participia in *ων*, *οντες*, *dativum* plu-

ralem habent in ϰσι, non in σσι· τοῖς τίϰσι τὸν Θεὸν, illis qui honorant Deum.

16.

Pro *abſoluto* Latinorum *ablativo* Græci *genitivum* adhibebant. Ηγεμονεύοντος τȣ̃ Κυρηνίȣ. τελευτήσαντος τȣ̃ Καίσαρος.

17.

His junge omnem circum*flexam* terminationem in duas reſolvi poſſe : ῶ eſt pro άω, vel έω, vel όω. ἐῖν pro έειν. ῶν pro άων, vel έων, vel όων, ȣ pro εο.

18.

Sic ergo conjugabitur *fut.* 2um. τυπῶ, vel τυπέω· τυπεῖς, vel τυπέεις· τυπεῖ vel τυπέει· τυπȣ̃μεν vel τυπέομεν. τυπεῖτε vel τυπέετε, τυπȣ̃σι vel τυπέȣσι.

19.

Formatur illud *fut.* 2um. ex *aor:* 2°. ſublato *augmento*, & mutato ον in ῶ. ſic ex ἔτυπον fit τυπῶ vel τυπέω.

20.

Hujus *fut.* 2i. ſenſus eſt quòd non ita citò fiet res. τύψω τὸν ἔχθρον, inimicum verberabo, purè ac ſimpliciter : τυπῶ τὸν ἔχθρον, inimicum verberabo poſt certum tempus, nec ita citò.

21.

Sume rurſus neceſſarium tempus ut hæc ſingulatim plenè calleas, & nullo tunc negotio vertes. Τότε ὁ χριςὸς εἰς τὴν Γαλιλαίαν ἀνεχώρησε, καὶ καταλιπὼν τὴν Ναζαρὲτ ἐν τῇ πόλει Καπερνάουμ κατῴκησε. Καὶ οὕτως ὁ λαὸς ὁ καθημένος ἐν σκότει ἔβλεψε φῶς μέγα, καὶ τοῖς καθημένοις ἐν τῇ σκίᾳ τοῦ θανάτου φῶς λαμπρὸν ἀνέτειλε. Καὶ αὐτοῖς ἔλεγε, μετανοεῖτε, ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. Ἀρύει ὕδωρ κοσκίνῳ, ὁ ἄνευ βίβλου μανθάνων. Κάρφος ἐν τῷ ὀφθαλμῷ τοῦ ἀδελφοῦ βλέπομεν, ἐν δ' ἰδίῳ ὀφθαλμῷ δοκὸν οὐ κατανοέομεν. Ψέγειν ἅπαντες εἴδουσι, τὰ ἴδια μελέδαινε· Τυφλὸς τυφλὸν ἄγων εἰς βόθρον μετ' αὐτοῦ ἑαυτὸν ῥίψει. τὸ παρὸν ὕδωρ μὴ χέε, πρὶν ἄλλο ἔχῃς·

πολλῷ τοι πλέονας λιμοῦ κόρος ὤλεσεν ἄνδρας·

Ῥᾴδιον μὲν καὶ φαυλοτέροις ἄστυ σεῖσαι, ἀλλ' ἐπὶ χώρας αὖθις εἶσαι δυσπαλές. τόπον ἥσσων μείζονι εἰκέτω. Σκάζοντι ὁμιλῶν καὶ αὐτὸς σκάζειν μαθήσεις. Ξένους πένητας μὴ παρατρέχῃς ἰδών. Μηδένα φίλον ποίει πρὶν ἂν ἐξετάσῃς.

CAPUT VII.

De Specialibus quibuſdam.

1.

Sic declinatur pronomen Ἐγὼ, ego; ἐμοῦ vel μοῦ, ἐμοὶ vel μοὶ, ἐμὲ vel μὲ. Plur. ἡμεῖς, nos, ἡμῶν, ἡμῖν, ἡμᾶς.

2.

Pronomen σὺ, tu, habet σοῦ, σοὶ, σὲ Plur. Ὑμεῖς, vos, ὑμῶν, ὑμῖν, ὑμᾶς. Rarum eſt pronomen οὗ, οἷ, ἓ, ſui, plur. σφὲ, σφὶν, σφίσι, σφὰς.

3.

Relativum ὃς, ἣ, ὃ qui, quæ, quod, propemodum regulare eſt: ſed dicere amabant περὶ τῆς ἐπιστολῆς ἧς ἔλαβον παρά σου potiùs quàm ἣν ἔλαβον.

4.

Noſſe jam oportet quid ſit ν *paragogicum.* Scilicet *hiatûs* vitandi causâ pro εἶπε αὐτῷ dicebant εἶπεν. Idem obſervabant in 3ª. plur. deſinente in σι· Φύσει νέειν εἰδοῦσιν οἱ κύνες.

5.

Nec id proprium perſonis in ε & σι deſi-

deſinentibus : *Dativis* ejuſdem terminationis itidem aſſuebatur ; imo & aliis quibuſdam vocibus. πᾶσιν εἶπε· γυναῖξιν ὁμοιος· εἴκοσιν ἄνθρωποι.

6.

Imo metri cauſâ illud etiam ante *conſonas* retinebant Poetæ. Ut μείδησεν δὲ Καλυψώ.

7.

Nota etiam quòd τρέφω, nutrio, & τρέχω, curro, naturâ ſcriberentur per θ, ni obſtarent *aſpiratæ* φ & χ. Ideo illud recuperant in θρέψω & θρέξω, &c.

8.

Contrà θάπτω, ſepelio, ſimili ratione ſuum θ abjicit in τέταφα & ἔταφον. Ut ἔχω, quoties licet, ſuum recuperat *aſperum* ſpiritum, ἕξω, habebo.

9.

Euphoniæ gratiâ πέρθω habet ἔπραθον pro ἔπαρθον in *aor.* 2°. ῥέζω, facio, ἕρξω pro ῥέξω in ſut. 1°.

10.

Aor. 2°. præteriti *reduplicationem* interdum aſſignabant : πέφυγον pro ἔφυγον a φεύγω, fugio. πέπιθον pro ἔπιθον a πείθω, perſuadeo. πέπαλον pro ἔπαλον a πάλλω,

C

vibro. κέκαμον pro ἔκαμον a κάμνω, ægroto.

11.

Attici pro ἦγον ab ἄγω, duco, dicebant ἤγαγον. Et pro ἦρον ab ἄρω, apto, ἤραρον· ſed per tales licentias non rejiciebantur regularia ἔφυγον, ἔπιθον &c.

12.

In verbis οἴγω, aperio, & ὁράω, video; non modò dicebant ᾦχα in *præt°.* & ὤρακα, ſed etiam ἔῳχα & ἑώρακα· Καταλείπω, relinquo, habet κάτέλιπον & κάλλιπον.

13.

Elegantiæ cauſâ dicebant omnes Græci τὰ ζῶα τρέχει, pro τρέχουσι. Et ſic de omni *neutro* plur. Simile quid habent Galli dum dicunt, *il eſt arrivé des ſoldats, des vaiſſeaux,* &c.

14.

Nec omittendum *α privativum,* quod vocibus præfigebant ut contraria fieret earum ſignificatio. a σθένος, robur, ἀσθενὴς, infirmus. A νόμος, lex, ἀνομία, legis transgreſſio. Ut Latinis ex *amicus inimicus*, &c.

15.

Præpoſitio σὺν, cum, ante λ fit συλ· συλλέγω, colligo. ſed redit ante *augm.* ε; συνέλεγον, συνέλεξα &c.

16.

Pari lege ἐν fit ἐμ ante β. π. μ. & φ. Ἐμβαίνω, ingredior. ἐμμένω, perſevero. ἐμπίπ]ω, incido. ἐμφοράω, inſpicio.

17.

Præpoſitio ἐκ fiet ἐξ ante omnem vocalem; ἐκλέγω, eligo, ἐξέλεξα· Ἐξ αἰῶνος εἰς αἰῶνας.

18.

Duplex *negatio* græcè non tollit, ut latinè, ſed intendit *negationem*. ὀ μὴ κλέψεις. ὀ μὴ πορνεύσεις.

19.

Quod Latini dicunt *os humeróſque Deo ſimilis*, phraſis eſt græca, εἶδός τε φυήν τε θεῷ ἴκελος. Nempe ſubaudiebatur præp. κα]ὰ.

20.

Verba *audio*, *tango*, *ſentio*, græcè *genitivum* adfectant. ἤκουον αὐ]ȣ· ἥψε τῆς χειρὸς αὐ]ῆς· ᾔσθανε δυνάμεως ἐξ αὐ]ȣ ἐκπορευομένης.

21.

Sume tantùm *temporis* quanto opus erit ut hæc omnia ritè & plenè ediſcantur. Dein ſequentia proponantur vertenda, & exponenda. ὁ μὲν Λυσανδρος τὸ ἄςυ πολιόρ-

ξήσας τὴν κυβέρνησιν παντελῶς μετήλλαξε· πᾶσαν ἔδωκεν ἐξεσίαν τριάκοντα Ἄρχεσιν ὓς τριάκοντα Τυράννους ὠνόμασαν διὰ τὴν αὐτῶν ἀδικίαν καὶ σκληρότητα. Ἀλλ' ὁ μὲν Θρασύβελος μετ' ἔτεα τέσσαρα πάντας αὐτὲς ἢ ἔκτανεν, ἢ ἔξω τῆς πόλεος ὤθησε. Λέγεσιν ἔτι τὸν μὲν Ἱππίαν τὸν τῦ Πεισιςράτε ἐκ τῆς Ἀθηνῆς Φυγόντα διὰ τὴν τῶν πολίτων ὀργην, ἑαυτὸν τῷ Δαρείῳ παρεςηκέναι ὡς αὐτε ἡγέμονα ἀντὶ τῆς αὐτῦ πατρίδος. Ἀλλ' ἐν πρώτοις ἔπεσεν, ὅτι οἱ μὲν θεοὶ ἔχεσιν ἔκδικον ὄμμα. Ὁ δ' Ἀριςείδης εἰς Φυγαδείαν ἀποβαίνων τὲς θεὲς ἤτησεν ὡς τὰ τῆς αὐτῦ πατρίδος ὕτως ἀεὶ ἔχοιεν, ὥςε αὐτὲς μηδαμῶς καὶ μηδέποτε ταύτης τῆς ἀδικίας μετανοήσειν. Ἐκ τύτε τῦ τεκμηρίε τὲς ἀγαθὲς καὶ τὲς κακὲς γνώσεις πολίτας. Ὁ μὲν τρίτος τῆς Ῥωμῆς Ὕπατος τὰς ῥάβδες ἐνώπιον τῦ Δήμε ὑπέβαλεν, ὁμολογέων ὅτι πᾶσα ἐξεσία ἐξ αὐτῦ ἀνατέλλει· Διὸ καὶ αὐτὸν ἐφίλησαν πάντες οἱ πολῖται.

CAPUT VIII.

De Paſſivis.

1.

In *paſſivo* verbum eadem habet *tempora:* Eaſdem *augmentum* ſequitur leges: *ſola* differt *terminatio*, & in quibuſdam *figurativa.*

2.

In *præſenti* ω activi mutatur in ομαι· τίω fit τίομαι, τίῃ, τίεται· τιόμεθα, τίεσθε, τίονται. In *imperfecto* ἔτιον fit ἐτιόμην, ἐτίου, ἐτίετο· ἐτιόμεθα, ἐτίεσθε, ἐτίοντο.

3.

In *præterito* τέτικα dat τέτιμαι, τέτισαι, τέτιται· τετίμεθα, τέτισθε, τέτινται. In *pluſquàm perfecto* ex τέτιμαι fit ἐτετίμην, τισο, τιτο· ἐτετίμεθα, τισθε, τιντο.

4.

In *aoriſto* 1°. aliud ſumamus verbum; βαρέω, gravo, habet in *præt. paſſivo* βεβάρημαι, σαι, ται. Illud ται mutatur in θην. ἐβαρήθην, θης, θη· ἐβαρήθημεν, θητε, θησαν.

5.

Illud θην aor. 1[i]. muta in θήσομαι, rejec-

to *augmento*, habebis fut. 1um. *βαρηθήσομαι*; quod ut *præſens* in *ομαι* conjugabitur.

6.

Aoriſtus 2us. ἔτυπον fiet in *paſſivo* ἐτύπην ; quæ *terminatio* eadem eſt ac *aor.* 1^i., & *perinde* mutatur.

7.

Illud ἐτύπην dabit *fut.* 2um. τυπήσομαι eâdem mutatione quæ ex *aor.* 1°. dedit fut. 1um; & illud τυπήσομαι rurſus ut *τίομαι* conjugabitur ob eandem *terminationem.*

8.

Dicta conveniunt omni verbo quod *præteritum act.* habet in *κα*. Si autem ſit in *χα* , in *paſſivo* fiet *γμαι*. λέλεχα dat λέλεγμαι , ξαι , κται· λελέγμεθα , εχθε , ſed deeſt 3^a. plur.

9.

Illud λέλεγμαι fiet in *pluſquàm perf.* ἐλελέγμην , ξο , κτο· ἐλελέγμεθα , χθε , deficiente etiam 3^a. plur.

10.

Ubi *præt. activum* eſt in *φα* , in *paſſivo* fit *μμαι*. τέτυφα fit τέτυμμαι , ψαι , πται· τετύμμεθα , φθε , ſine 3^a. plur.

11.

Tunc *pl. q. perf.* eſt ἐτετύμμην, ψο, πτο· ἐτετύμμεθα, φθε, nulla item eſt 3ª. *plur.*

12.

Ex hac autem *præteritorum* diverſitate nulla naſcitur differentia in *aor.* 1°. nulla in *fut.* 1°. κται dabit χθην & χθήσομαι· πται verò φθην & φθήσομαι. ſemper enim in *aſpiratas* mutantur *tenues.*

13.

Hic repetendum quod alibi dixi 1°. Extra *indicativum* evaneſcit *augmentum,* non *reduplicatio*: 2°. *Futuris* nullus eſt *imperativus*: 3°. *imperfectum* a *præſenti*, *pl. q. perf.* a *præterito* non differt extra *indicativum.*

14.

In *imperativo præſ.* ομαι dat. ου, έσθω· εσθε, έσθωσαν. In utroque *aoriſto imperativus* eſt in ηθι, ήτω. ητε, ήτωσαν. ſed in *aor.* 1°. θ ſemper præit *terminationem.*

15.

In *præterito* μαι dat σο, σθω· σθε, σθωσαν.
γμαι dat ξο, χθω· χθε, χθωσαν.
& μμαι ψο, φθω· φθε, φθωσαν.

16.

Optativus eſt οίμην, οιο, οιτο· οίμεθα,

Digitized by Google

οισθε, οιντο, in temporibus in ομαι deſinentibus; & εἴην, εἴης, εἴη· εἴημεν, εἴητε, εἴησαν in utroque *aor°*.

17.

In *præterito* nullus eſt *optativus*; nullus item *conjunctivus*, qui mutat ομαι in ωμαι, η, ηται· ώμεθα, ησθε, ωνται· In *aor*ⁱˢ. habet ῶ, ῇς, ῇ· ῶμεν, ῆτε, ῶσι·

18.

Dicunt nullum eſſe *futuro conjunctivum*. Errant; conjugatur ut tempora in ομαι. Vide 1. Cor. XIII. 3. καυθήσωμαι.

19.

In *infinitivo* ομαι fit εσθαι· *Aoriſti* habent ῆναι. In *præterito* eſt σθαι, vel χθαι, vel φθαι. *Participia* deſinunt in όμενος, η, ον· vel in εὶς έντος· εῖσα, ης· ὲν, έντος· vel in μένος, γμένος, & μμένος.

20.

Denique in *paſſivo* ſuperadditur certum quodam *paulò pòſt futurum*. Nempe fut. 1. *activum* τίσω conjugatur in ομαι, additâ *reduplicatione*, τετίσομαι, brevi honorabor.

21.

